



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo Et Archidiac. Zamorensi, & Didaco Priori de Morerola.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

NEOCASTREN. EPISCOPO.

Epi. 210.
Quod à dece-
soribus aliena-
ta revocare li-
ceat.
* Addendum
res vel faculta-
tes, vel potest-
tiones

Significasti nobis per literas tuas quod bona memoria G. predecessor tuus, & qui secuti sunt eum usque ad tempora tua, * ad mensam pontificalem pertinentes in tuum & Ecclesiae detrimentum quibusdam laicis minus rationabiliter contulerunt, concessiones ipsas instrumentis publicis munientes; & ut auctoritate nostra quod ab eis perperam factum est, tibi corrigere liceat, suppliciter postulasti. Nos ergo attendentes quod delictum persona non debet in damnum Ecclesiae redundare, fraternitati tuae per apostolicas literas indulgemus, ut quod à jam dictis predecessoribus tuis usque ad praesens in praejudicium Neocastren. Ecclesiae minus legitimè alienatum est, ad jus ipsius tibi liceat appellatione remota legitimè revocare. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum Nonis Iunij, Pontificatus nostri anno primo.

STRIGONIEN. ARCHIEPISC.

Epi. 251.
Privilegia Ec-
clesie Strigoni-
confumantur.

Ovia te tanquam præcipuum sanctam Romanæ Ecclesiae membra & venerabilem fratrem diligimus, & totis in Christo visceribus amplexamur, tuis desideriis grato concurrentes assensu, petitiones tuas ea qua decuit affectione recepimus, & earum tenore pleniùs considerato, quantum cum Deo potuimus, curavimus executioni mandare, & devotionis tuae fervorem, quem ad Romanam Ecclesiam & nos specialiter habere dignosceris, studiosius commendantes, tam privilegia Ecclesiae tibi commissæ canonicè à predecessoribus nostris indulta, quam etiam indulgentias vel alia qualibet regalia scripta, salvis Romanæ Ecclesiae privilegiis & indulgentiis, auctoritate apostolica illibata præcipimus & inconcussa manere. Nulli ergo &c. Datum &c. II. Non. Iunij.

FRATRI IOHANNI
& aliis fratribus domus sancte
Trinitatis Cervifrigidi.

Epi. 252.
Data tis bona,
in pios usus cō-
ferenda, aucto-
ritate aposto-
lica confirmantur.

Cum à nobis peritur &c. usque ad verbum assensu, personas vestras, cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis &c. usque ad verbum suscipimus. Specialiter autem domum

sanctæ Trinitatis Cervifrigidi, quam carissima in Christo filia M. Comitissa Burgundia pro redemptione illorum qui armatura fidei communiti, pro legge Dei se murum defensionis hilariter opponentes, ab inimicis crucis Christi saepius detinentur, & barbaricæ captivitatis jugum in fame & siti omnino dísque laboribus pro Christo sustinere lactantur, vobis caritatè contulit, locum quoque de Planels, cum Ecclesia ibidem fundata à nobili viro R. de Planels, ad idem opus vobis collata, domum etiam quam nobilis mulier Maria panateria in Parisien. dioecesi, videlicet in Burgo Reginæ, vobis ad hoc idem in perpetuam eleemosynam assignavit, cum omnibus ad ea spectantibus, sicut ipsa justè & pacificè possidetis, vobis & successoribus vestris auctoritate apostolica confirmamus, & praesentis scripti pagina communimus. Statuimus etiam ut dominus vestrae praesentes atque futurae, à statu illo in quo eas deliberatione provida ordinastis, videlicet ad redemptiōnem captivorum, vel ad observantiam vestri ordinis & institutionis, nullius præsumptione temeraria valeant immutari. Nulli ergo &c. Datum &c. XVII. Kalend. Iunij &c.

EPISCOPO ET ARCHIDIAC.
Zamorenſi, & Didaco Priori
de Morerola.

Ex parte Legionen. Ecclesiae fuit in auditorio nostro propositum quod cùm olim inter ipsam & monasterium sancti Facundi super Ecclesias de Burgo & Cauto quæstio verteretur, Abbas ipsius monasterij lite pendente ad apostolicam sedem accedens, à bona memoria Celest. PP. predecessor nostro privilegium impetravit, in quo, veritate tacita, prædictas sibi fecit Ecclesias & multas alias confirmari. Sed privilegio ipso magna pars fratrum nostrorum nec subscrivere, nec consensum suum voluit adhibere. Volentes igitur eidem Ecclesiae in sua iustitia non deesse, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus tam super privilegio ipso quam super memoratis Ecclesias & aliis quæstionibus audiatis quæ fuerint hinc inde proposita; & appellatione remota usque ad diffinitivæ sententiae calculum procedentes, gesta omnia redacta in scriptis, & sigillis vestris im-

Epi. 253.
Vt caufam Ca-
pituli Legio-
nenſis contra
monasterium
sancti Facundi
cogoscant.

R iii

pressa, ad sedem apostolicam destinatis, statuentes partibus terminum competentem, quo receptura sententiam nostro se conspectui repräsentent. Si qua verò partium super principali vel incidenti duxerit appellandum; vos nihilo minus, quantum de jure poteritis, servato tamen mandati nostri tenore, in ipsius inquisitione negotij procedatis. Quod si omnes &c. tu frater Episcope &c. Datum Romæ &c. I I. Non. Iunij &c.

*ALFONSO AVRIEN.
Episcopo.*

*Epiſt. 254.
Statim ualiquod
novum confi-
matur.*

QVÆ ad ampliandum cultum divini nominis Prælatis Ecclesiarum provide statuantur, firma debent & inconcussa servari, & ad obtinendum robur perpetuæ firmitatis apostolico præsidio communiri. Significasti siquidem nobis quod ut in Ecclesia tua solennius Domino serviretur, de consilio Capituli tui sex præbendarum proventus provida deliberatione conferre duodecim portionariis statuisti qui debeat in eadem Ecclesia ad supplendum aliorum defectum continuè residere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, institutionem ipsam, sicut provide facta est & recepta, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum VIII. Idus Junij &c.

*CUPERSANO EPISCOPO
& Archidiacono Oritan.*

*Epiſt. 255.
Vt contra Epis-
copum Mutilen-
sem, dilapi-
datorem, & a-
liorum crimi-
num reum in-
quirant, & Ar-
chidiaconum,
quem spoliarat,
restituant.*

DIlecto filio Hugone Mutilen. Archidiacono conquerente didicimus quod cum quandam Mutilen. Episcopum curam rerum Mutilen. Ecclesie olim ei Cantori & Thesaurario, praesente Capitulo, assignasset, venerabilis frater noster Mutilen. Episcopus eum, quia quandam mulam Ecclesie cuidam Clerico commodaverat, qua ei fuit postmodum violenter ablata, ipsum post appellationem ad sedem apostolicam interpositam & per se verberavit, & fecit ab aliis verberari. Qui in granario postmodum jussu præcipitatus ipsius, manibus post terga ligatis, cippo fuit & compedibus ferreis alligatus: ubi, propter poenæ alleviationem, Willielmo nepoti & Simoni genero ejusdem

Episcopi decreta & eorum summam cum rebus aliis concessit invitus. Cum autem de tam arcta custodia fuisset, sicut asserit, non humano sed divino potius auxilio liberatus, idem Episcopus eum ab officio beneficioque suspendit, & Willielmum nepotem suum in castro Massafro Archidiaconum, & quendam alium in Mutilen. Ecclesia in præjudicium juris ejus Archipresbyterum ordinavit, & eundem Archidiaconum Stephanus filius Alfaranae, Bajulus civitatis, mobilibus spoliavit, & dominator civitatis immobilia auferens, eidem Archidiacono civitatis aditum interdixit. Proposuit etiam idem Archidiaconus gravia contra Episcopum memoratum, super electione non canonica, dilapidatione Ecclesie, & crimine simoniae, ac quod Episcopus ipse cujusdam manifesti adulteri & alterius falsarij familiaritate utatur. Verum quia nobis non constitit de prædictis, discretioni vestra per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis audiatis quæ fuerint hinc inde proposita, & receptis testibus, & attestacionibus publicatis, & examinatis legitime, gesta omnia redacta in scriptis, & sigillorum vestrorum munimine roborata, ad nos dirigere procuretis, statuentes partibus terminum competentem, infra quem, receptura sententiam, nostro se conspectui repräsentent. Interim autem Archidiaconum ipsum ad officium & beneficium & dignitatem archidiaconatus restitutas, si id de jure videritis faciendum. Eos autem qui in eum manus injecere temere violentas, tamdiu excommunicatos denuncietis & mandetis ab omnibus evitari, donec passo injuriam & de ablatis omnibus & illatis injuriis satisficerint competenter, & cum vestrarum testimonio literarum ad sedem apostolicam venerint absolvendi. Diulos præterea Episcopum, Willielmum, & Simonem ad restitutionem librorum & aliarum rerum, prout justum fuerit, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Testes autem &c. cogantur. Quod si ambo &c. tu frater Episcope &c. Datum Romæ &c.

